

*Peltaria*, ex seminibus Tuis olim benigne communicatis, crescit in horto et hyemes nostras egregie perfert.

Arbusculam *Magnoliae grandiflorae* accepi, sed vix me vivo florebit.

D. Tidström nunc ruri a me remotus degit per ferias aestivales, ut eum hodie convenire nequeam, audivi ab alio quod ante mensem miserit cistam cum lapidibus.

E seminibus prodire apud me *Robinia spinosissima* nova species, *Robinia pygmaea*, *Dryas pentapetala* et plures sibiricae.

## 51.

### Vir amplissime!

Heri ad me accessit D. Tidstroem, et dedit mihi inclusam pro Te epistolam, unaque demonstravit adjectis literis mercatoris Holmiensis, qui cistam pro Te cum mineralibus curavit, quod vere miserit promissa; et sic solvi fidem pro Tidstroemio olim Tibi datam. Haec non potui non jam mittere, ne de fide dubitares. Dixit mihi etiam Tidstroemius quod a Te acceperit Lapidem pulcherrimos, quos nondum videre contigit, cum jam in praedio haereo et utor more quotannis solito *Fragis*.

*Scabiosae* figuram quam ultimo misisti, nunc video diversam esse, ut ut facies et habitus totius plantae sit similimus. jam habeo in horto academico Tuam plantam, quae differt a maritima, non tantum floribus flosculosis s. minime radiatis, sed et seminum corona ut in *Asterocephalis Vaillantii*, qua destitur maritima. Bocc. Sic. ad manus non est.

*Boerhaviam* Tuam etiam diversam esse a B. diffusa jam perspicio; est enim Tua, quam in *Mantissa secunda* proponam sub nomine *Boerhaviae* caule prostrato, pubescente, foliis ovatis, repandis.